

III.

NEOVIDENSIS

Nro 49. (*Neovidensis* 1805. Nro 45.)

Ex Campis Elysiis

Oratio Politica

De multa lectione.

Elysiis -- Meum. -- Die Martis 18. Junii 1805 (Neov. 4. Junii.)

Propositio :

Ubi magna lux, ibi etiam multa umbra.
Esperim. c. 3.

Sat diu jam, inquit quidam integræ fidei Observator, blandiebamur conceptæ de se opinioni, atque arroganti sapientiæ recentioris ævi hominum, adest tandem tempus inquirendi, quantas per id vitia, immodestia, & stultitia fecerint progressiones. Tametsi enim nullos amplius comburamus hæreticos, & in omni scientiarum genere profecerimus, attamen æquum est ponere quæstionem, an revera meliores simus effecti? an in bonis moribus, & virtute aliquod lucrum reportaverimus? Equidem multa ridicula, & stulta præjudicia, quibus antiqui mordicus inhærebant, debellavimus, sed etiam nova scelera, & fatuitates induximus, de quibus veteres

nec somniant quidem, & quæ nos in animo, & corpore perinde miseros reddunt, quemadmodum errores, ac superstitio præteritorum temporum. Nostri sensus erga moralitatem, veritatem, & justitiam sunt perpolitum, sed non excolti; Loquimur enim pulchre, sed agimus parum; non exequimur, quod bonum esse judicamus; Lumen, quod nostrum intellectum illuminat, non movet voluntatem; neque erumpit in actum. Imo manifeste videmus, nos in dies magis debilitari, depravarique, ut adeo hic etiam valeat illud: Ubi magna lux, ibi etiam multa umbra.

Lectio, quæ alias apud certam hominum classem ad raritates pertinebat, ita modo invalescit, atque maximam partem ita fit absorta, ut merito dubitetur, an non expediat plerisque svadere, ut legere non discant. Coniunctio idearum cum vitæ ratione, magis, ac magis perturbatur. Quis non animadvertit, per hæc omnia plurimum impediri vim efficiendi humanam, claritatem, ac sobrietatem mentis, item intensas vires, dominiumque intellectus, atque ipsam rationem examinantem sensuum illecebras? Et cui, quæso, oportet amplius demonstrare, hac methodo vim genuinorum de moralitate principiorum, quæ tamen fortissima suppeditant motiva contra indomitas animi affectiones, enervari? His in considerationem sumtis, quis adhuc mirabitur se in aliis, qui de castitate, conti-

nentia, fide conjugali &c. sermones fieri, at-
 que his qualitatibus destitutos vehementer
 exagitari audiunt, nulla signa emendationis
 observare; si præterea videat, quanta levitas
 animi capiat incrementa, quid admonitiones,
 argumenta, Magistrorum, Concionatorum,
 Parentum, Amicorum, quæ ex natura sua,
 & sperato inde successu totum errantis cogi-
 tandi, agendique systema deberent invertere,
 apud homines, quibusabilitas ista intelli-
 gendi, ac penetrandi inesse jure merito præ-
 sumenda est, vix ab hodie usque crastinum,
 seu, quod idem est, plane nihil proficiant;
 Et hoc quidem nullo alio ex fundamento,
 quam quod in eorum tot, tamque variis im-
 pressionibus hebetato cerebro, nulla amplius
 sensatio possit retineri, namque vaga, &
 fessa eorum phantasia nequit se amplius no-
 bilibus, & seriis rerum adjunctis occupare.

Verum alia etiam occurrit consideratio,
 quam hic loci præterire non licet. Extra
 dubium positum est, a nimia lectione, præ-
 sertim tali, ubi anima suas notiones clare,
 & distincte non percipit, ubi illa nullius ac-
 cessionis de interna perfectione sibi conscia
 est, corporis vires debilitari, frangique. Ut
 nihil dicam, per lectionem ipsa organa im-
 peti, per quæ intellectus suas actiones potis-
 simum exerit, adeoque corpori noceri; sub-
 lato enim metu corporis intra legendum, &
 accedentibus violentis diversarum repræsen-

tationum mutationibus nascitur lassitudo, pituita, flatus, & obstructions, verbo: Hypochondria, quæ, uti notum est, agit in utrumque sexum, cum primis tamen in fœmineum, producendo acrimoniam sanguinis, impediendo circulationem, debilitando nervos, inducendo morbos, & mollitiem in tota machina corporea.

Magis adhuc notatu dignum est detrimentum usitatæ apud nos lectionis, si perpendamus, quod sit præcipuum ejus obiectum. Oblectatio animi est præcipuus, imo, ausim dicere, unicus finis hodiernorum lectorum; Oblectatio, quæ maximam partem ita inanis est, & sine viribus, quemadmodum copia calidorum potuum, quibus nostri effæminati masculi sua vacua, vel certe cruditate repleta viscera onerant. Oblectatio, quæ si abeat in occupationem, otium redolet, & pro instinctu sexus pessimas post se trahit otii sequelas. Summa sit veneratio elegantæ litteraturæ, atque viris, qui vero ducti fervore de eadem lucubrationes edunt, aut eam scientificæ pertractant, & in ejus principia omni contentione inquirunt: Hoc tamen non possum non palam profiteri, in penuria veterum poetarum, aut ejusmodi scriptorum, qui priores imitentur, contra in innumera multitudine fabellarum Romanensium, Poematum, Narrationum, extemporaneorum dictionum, Epigrammatum, Comædiarum &c., quæ

quotidie leguntur, & in dies multiplicantur, maximam partem esse inanes, & sine omni fructu libellos, atque in maxima raritate genuinorum de moralitate principiorum, non nisi perniciosa, & bonis moribus adversantia prodire opuscula.

Novi isti scribillatores summam vim reponunt in depingenda inclinatione erga sexum, & qui his rebus legendis maximam partem temporis impendit, non inhæreat illis tanquam summo vitæ suæ negotio? illarum impressionibus motus non referat omnia ad voluptatem corporis? mollissimis cogitationibus non effæminetur? Atque iste est sine dubio modus, quo portentosæ, ex nulla, vel unilaterali tantum hominum cognitione hauriuntur, & pro usu quotidianæ vitæ inutiles idæe sparguntur, exorbitantia desideria excitantur, quæ deinde in turpissimas degenerant voluptates — Una e fœcundissimis causis, quod semper magis deficiat firmitas in omni genere, desint apti viri ad tractanda vitæ negotia, bonum commune non curetur, negligatur, quod nobile, & pulchrum est, quia labore venit, denique quod hebescat sensus de proprio interno valore, sine quo nullus nisus in bonum, nulla cum sui abnegatione conjuncta continentia cogitari potest.

Sed nondum satis: Ad lasciva scripta, epigrammata, Grecurtiana carmina, & Schul-

zianas fabulas accedunt scurriles libelli, qui nostrorum Dominorum, Dominarumque, ac vetularum in tabernis sedentium pulpita, abacos, & angulos occupant, ex quibus delingunt, quod maxime placet, & cujus sapor diutius durat, quam ordinarii victus. Hinc oriuntur frivoli sermones, ad quos innocentia, quin erubescat, morari nequit, & si moretur, reipsa delinquit, & tamen hi sunt præcipua materia in colloquiis socialibus; Item cavillationes de rebus sacris, quæ tandem nihili penduntur, & forte etiam cum quibusdam pietatis exercitiis joculariter comparantur. At pulchritudo æsthetica, & puritas morum, quæ natura sua conjunguntur, comparent tanquam res penitus discrepantes; Eo jam ventum est, ut amor pulchri, amorem boni deridiculo habeat — Jam autem quid potest aliud consequi ex ita infatuata imaginandi facultate, ex tali principiorum perversione, quam periculosissimorum affectuum libertas, & turpissima scelera?

Lectio debet nostrum intellectum perficere. Sed immoderata inordinata, ac inconsiderata lectio hoc est spiritui, quod immoderatus, inordinatus, & inconsideratus esus corpori. Producit indigestionem, cruditatem, debilitatem, inertiam, ac tandem veram infirmitatem. Hoc juventuti mature est inculcandum, ut a teneris, ut ajunt, ungviculis assvescat labori, sic enim terribilis ille le-

gendi pruritus, qui jam magnam partem hominum nostræ ætatis ultra modum corripuit, iisque tristissimas se illaturum clades minatur, notabiliter imminuetur.

Publicatio. ***

Quod opus elapso anno Nro. 26 harum Ephemeridum sub titulo: *Stimulus Compunctio- nis, & Soliloquia*, annunciavi, illud auctum eximiis *cogitationibus Christianis* R. P. Bouhours e S. I. pro quolibet die mensis, in lucem publicam jam prodivit, impressum elegantibus typis, philyris 18¼. Qui igitur BB. Fautores nostri pro opere hocce jam prænumerarunt, illud indicata nobis opportuna occasione quando- cunque accipere poterunt. Alii vero, qui occasionem prænumerandi pro eodem non ha- buerunt, persoluto 1 fl. illud a quovis Biblio- pola, aut a nobis ipsis comparare poterunt.

Posonii 1 Junii 1805 G. A. Belnay.

ANNUNCIATIO. ***

In eadem hac Typographiat recentissime excusum est, venaleque prostat opus eximi- um: *Svastics a' Magyarok 'Historiája* cum 3 Augg. Regum nostrorum: S. Stephani, Mat- thiæ Corvini, & Francisci II. elegantissime aeri incisis iconibus, in 8. maj. Vol. 3. a 5 fl. icones hæ etiam separatium haberi possunt a 30 xr. quælibet.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales prostant:

Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság' hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3 fl. Fényes papirosra 6 fl. 40 kr.

Fragmenta ad Historiam Ecclesiasticam Hungariæ. 8. I. & II. Fasc. 1 fl.

Jantin & Montigny, conte Moral, par l'auteur de l'histoire de Sudmer. 1804. 1 fl.

Manuale Catholicum continens Officiam B. M. V. Defunctorum, de SS. Sacramento, S. Crucis, Psalmos Graduales, Pœnitentiales; Hymnos per totum annum, & varias preces cum cogitationibus Christianis R. P. Bouhours pro quolibet die mensis. 12. cum effigie B. M. V. 45 xr. in charta postali. 1 fl. 12 xr.

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le Desert, par F. A. Chateaubriand. 12. relié 1 fl. 8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luizonai Páztákon. Kötve 45 kr. Posta papirosra 2 fl. Fényes papirosra 4 fl.

Hertzeg Piripionak tündér története, Wieland után írta Magyar Földjeinek mulattatására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.

Elisa, avagy milyennek kell lenni az Afzónynak. 8. 1 fl. 30 kr. in Charta scriptoria 2 fl. Gubernath, Institutiones Linguæ & Litteraturæ Hungariæ cum Phræseologia, & Syntaxi ornata. 1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

